

Imitatus est eum D. JO. CHRISTIAN. LANGE, qui operibus suis medicis præfixit brevem sed egregiam historiæ medicæ delineationem. Nec temperare mihi possum, quin commemorem DANIELEM LE CLERC, q ejusque historiam medicinæ; qui varia eruditione refertus liber sat notus erit iis, qui ultra formulare suum sapiunt. Sed hæc historiæ medicæ saltem, non philosophicæ commendant studium: imo etiam hocce, qui enim novit maximos philosophorum medicos; maximosque medicorum philosophos fuisse, non dubitat amplius sibi persuadere, studium utriusque historiæ arcto nexu cohærere. Ita in medicorum catalogum relatós leges apud LANGIUM r Democritum, Platonem, Aristotelem, Theophrastum, aliosque, quemadmodum & fama est, Pythagoræos summum studium in arte medica posuisse, narrante AELIANO, fut taceam eandem medicinæ ac philosophiæ olim fuisse disciplinam antequam has à se invicem sejungere instituit HIPPOCRATES.<sup>t</sup> Aequa certe Hippocrates locum inter philosophos, ac illi inter medicos, meretur, nec persuadere mihi queo, illos recte Hippocratis assequi doctrinas, qui à veteri philosophia plane existunt alieni quod & de Galeno, Celso, aliisque asseri posse nullus dubito. Quantum præterea physicæ solidioris studium utilitatis præstet medico apud doctissimos in confessu est, hoc autem plurima scientiæ suæ argumenta à veteribus mutuatur philosophis, lnt non possit non etiam ad solidiorem physicæ electivæ cognitionem medicinæ cultori commendari studium historiæ philosophicæ, quamvis de hoc commodior dicendi locus sit in subsequentibus de usu historiæ philosophicæ, quem præbet ipsiusmet philosophis.

D 3

S. XXIV.

<sup>q</sup> *Histoire de la medicine à Amsterdam. 1702. 4.*<sup>r</sup> *In historia med. p. 10.*<sup>s</sup> *Histor. var. L. IX. c. 22.*<sup>t</sup> *Vid. le Clerc. hist. de la med. prem. part. liv. III. chap. I. p. 104. conf. erudita diff. quæ olim hic loci sub præsidio Venerabilis JO. ANDR. SCHMIDII de theologia Hippocratis est habita. S. I. II. - IV.*